

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Chiliano Goltstein S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

genus naturæ. Nam peruersæ abhorrent, ut ab alijs Musicæ partibus, ita à uersibus faciendis. Coles igitur hoc studium faciendi uersus, sed ita, ut sepe scribas solutam orationē, in qua spero te magnā laudem consecuturum esse. Natura enim placet mihi. Quod si ars et ratio per ætatem accesserit, et Reipub. et tibi et tuis ornamento eris. Idq; ut fiat, oro Christum Ego quod possum, tibi præstabo: et de hac ratione dicendi, quam maxime probant eruditi, deq; imitatione, quam tibi necessariam esse iudico, scribam ad te quamprimum aliquid ocij natus ero. Bene uale, et saluta optimos tuos parētes.

Chiliano Goltstein S. D.

Gaudeo liberasse fidem suam duos patronos, tibiq; tandem adolescentes in disciplinā traditos: et opto, quoniam prouinciam et durissimam et plenam periculi suscipis, faueat tuis laboribus Christus. Non mehercule magis est (quod aiunt) Martis alea incerta, quàm studiorum, adeo pauci pueri perueniunt ad frugem, quanquam optimis usi preceptoribus, fortunaq; abundè suppeditarit omnia discendi instrumenta. Exercet me adhuc nomenclatura frumentorum: itaq; abs te postulo ut interrogēs medicos urbis tuæ, an norint frumenti speciem quam in Italia far uocarūt. Deinde quod farris hoc tempore nomen sit, quæ forma, et quatenus forma

conne-

conueniat cum eo quod nos uocamus Rocken. Ordine hæc mihi perscribi uolo, ut simpliciter *lucis lucæ* τὰ ἡγεμονία τὰ οὐνά: et cupio mihi sic responderi, ut ab agricola, non qui diuinet ex commentarijs, sed qui cognorit *αὐτόπης*, quiq; nōs in rens presentem ducere queat. Postremo etiam interroga, an habeant in Italia eam frumēti speciem, quam nos Rocken uocamus. Nos in enarrando Hesiodo egregiā operam nauauimus. Vale, *ἀσπίου τοῦ σὺλογοῦ*. Meis uerbis dicas salutem nostro Valentino. Postridie Dominicæ Iudica.

Reuerēdis. Principi ac Domino, D. Henrico octauo Angliæ & Franciæ Regi, Hybernæ Domino, Vuallæ & Cornubiæ principi, Domino suo clementissimi.

mo S. D.

III, 4.

Serenissime et inclyte Rex. Etsi publicæ quædam cause impulerunt me, ut scriptum quoddam meum Regiæ M. T. dedicarem, ut ex præfatione intelliget R. M. T. tamen etiam multum me priuatim admiratio ingenij et uirtutis tue mouit, ut hac qualicunq; significatione iudicij mei, studiū meum R. M. T. declararem. Dedi itaq; initio hunc libellum Alexandro Alefio Scoto, uiro docto et pio, qui uirtutem et pietatē tuam mihi et multis alijs in Germania magno studio prædicare solitus est. Is pollicitus